

Reipub. quod regis Persarum testimonio confirmat. Deinde Athenienses accusati, quod veteranos milites negligant, & a iunioribus per calumnias eos deferri, accusari & opprimi patientur. In Strophis vero & Antistrophis, inuocata Musa Acharnica, hortatur Athenienses, ut bene meritis dignam reddant gratiam. Concessio Megarensibus & Bæotis foro Attico, aduenit Megareus cum duabus filiabus, quas fame adductus vendere constituit, & ioco se admodum vtranque in porcos transformat, ipsa sique facco indit. Dicæopolis ubi hunc videt, mercem licet: porcos contrestat: iocatur, & tandem mercatur. Fortè interuenit huic contractui Sycophanta, qui se mercatorem cum suis mercibus delaturum & quadruplaturum esse comminatur. Eum repellit Dicæopolis, & receptis ad se porcis, Megareo cæpas & salem, loco precij persoluit. Accedit deinde Bæotius, cum omnis generis mercibus, ceu herbis, volucribus, feris, piscibus, easque res in foro Attico venum exponit. Ab hoc Dicæopolis opsonia ad festiuitatis suæ Choicæ celebrationem necessaria mercatur. Nicarchus Sycophanta postquam delationem esset minatus, instinctu Chori ab utroque male multatur, & facta commutatione mercium, ipse serui humeris imponitur pro vrceo, & in Bæotiam deportatur. Quibus peractis, famulus Lamachi Dicæopolidem adit, & heri sui nomine turdos atque alias lautitas ab eo petit: sed nihil impetrat. Ex qua re Chorus spem pacis concipit, & bellum, in quod antea toto animo consistebat, iam execratur. At Dicæopolis incæptas Choas peragit, & collaudata pace, eam sibi uxorem iungit, plurimis enumeratis illius commodis. Accedit deinde Caduceator, qui reliquæ plebi Choas indicat, eamque ad bibendum epulandumque hoc pacis tempore exhortatur. Paulò post gemens ac plorans accurrit agricola, cui boues ademerant Bæotij. Petit à Dicæopolide, ut sublato bello, pacem cum Thebanis faciat. Sed quia sibi soli fœdus comparauerat Dicæopolis, nihil obtinet agricola. Aduolat item Paronymphus cum pronuba, & sponsi sponsæq; nomine Dicæopolidem orat, ut pacem cum hostibus faciat, ne nouus maritus in militiam euocatus, a coniugis amplexu auellatur. Tum duo prodeunt nuncij, quorum alter Lamacho, homini tutbarum & belli studioso, repentinam hostium irruptionem annunciat, & in armis esse iubet: alter Dicæopolidem pacis cupidum, ad coenam sacerdotis Bacchi inuitat. Hac occasione arrepta, Dicæopolis Lamachum irridet, armaturam eius exhibeat, & militari duritie, bellique calamitatibus, commoda, & voluptates pacis, lepidè opponit. Quibus digressis, altero quidem in bellum, altero vero ad coenam, Chorus Antimachum quandam exagitat, & omnibus diris deuouet, ipsumque obiter Cratinum vellicat. Nulla ibi mora interposita adeat nūc ius è castris, qui Lamachi heri sui cladem ac vulnera exponit, omnésque seruos ad curationem vulnatum iubet accurrere. Eum è vestigio insequitur Lamachus, & miserabilis clamore cladem acceptam deplorat, bellumque execratur. Dicæopolis, ubi miserum videt, salsè irridet, & multis sarcasmis turbulentio homini insultat. At ipse Choro applaudente, utrem præmij loco, quod fortiter in festo Bacchi bibisset, ab Acharnensis accipit.

A R G U M E N T U M

ΑΚΡΟΣΤΙΧΕΣ.

- A more Pacis, quidam Acharnensis sibi
- C omparat ab hoste fædus, Amphitheo duce:
- H oc ubi seniorum plebs videt popularium:
- A mphitheum & ipsum persequuntur lapidibus.
- R euersus ergo in concionem, deuouet
- N ec i caput, factum nisi probet suum.
- E x in Periclem & Megaricam legem refert,
- N egatque causam aliam esse præsentis mali.
- S ed ut is retentam pacem agat latet domi:
- E xcedit urbe prælia tum Lamachus.
- I nterea ab hoste vulnus retulit graue;
- S enex reuersum ridet inter pœcula.